





FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
JO. PHILIPPUS  
Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM  
*ad L. i. ff. de usufruct.*

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
*AD DIEM XXXI. AUGUSTI MDCCXXXV.*  
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

INSTITUTUS JURIDICE  
DECANUS  
JO. PHILIPPUS

EMMENTHARUM AC CURIAE PRINCIPIS  
ELECTORIS SACROSANCTI ROMANI  
CONSILII

AD PRAEFECTURAM CURIAE

DISSERTATIONEM IN AUCURIALEM

LECTOREM PRAEFECTURAE HUMANITATE  
PRAEFAT.

JOH. CHRISTOPH. MERTSCH. Acad. Praef.



**N**atura humana innato appetitu ambit societatem civilem, quæ sine obtinere non posset ea, quæ ad convenientem vitæ conservationem ac felicitatem statu suo dignam, pertinent. Cum verò nullum corpus conservari possit, nisi detur principium aliquod, cui incumbat, commune bonum procurare; partim, quia membra singula potissimum bono suo privato consulant, quod sæpe adversatur utilitati communi totius communitatis: partim, quia ad felicem statum Reipublicæ multa requiruntur, quorum aut nullâ, aut exiguâ curâ tanguntur membra singula, aded ut corpus politicum perfectæ communitatis conservari non posset, nisi detur caput, cui ex officio incumbat, bonum communitatis procurare; nisi detur potestas publica, cujus edictis atque imperiis membra singula ad bonum commune inflectantur, summam legislatores in distribuendis rerum dominiis adhibuerunt diligentiam, ut ea determinarentur, quæ conducere videntur ad conservationem perfectæ communitatis. Per varias itaque rerum condiciones ac circumstantias considerarunt, non hoc solum prodesse nobis in com-

mune, si domini & proprietatis ratio haberetur. Sic enim futurum esse, ut quisquis rem suam sibi retineret, à qua tamen usufructus separationem recipit, sæpe enim contingit, ut quis dominium rei habeat, rem autem negligat, & nullam prorsus utilitatem ex illa percipiat, ideoque reservato dominio, alteri utilitatem, vel ad tempus, ut in locatione & conductione, vel ad dies vitæ illius, ut in usufructu fieri solet; est autem usufructus jus alienis rebus utendi, fruendi salvâ rerum substantiâ. *Inst. pr. tit. de usufruct. § L. i. ff. eod.* Dicitur est jus; hoc est, facultas, potestas, quam dominus detrahit proprietati suæ rei ac concedit alteri. Accipitur verò usufructus hic, ut est separatus à proprietate. *Zæf. ad d. tit. n. 5.* an autem sit pars Domini, videnter *L. 4. d. b. § L. 25. ff. de verb. sign.* sibi obstare, in illa enim dicitur, usumfructum in multis casibus esse partem domini. in *L. 25.* e contra, non esse partem domini, cum alienus est. Sed combinantur hæc leges, si *L. 4.* accipiatur de usufructu causali, *L. 25.* autem de usufructu formali, nempe, dum alienus est, id est, alteri jure servitutis competit. *Neuman de Puchholz. in annotat. ad Zæf. ff. d. t.* Verba utendi, fruendi distinguunt usumfructum ab usu, qui tantum est jus utendi. Nam qui usum tantum habet, longè minus habet, quàm qui usumfructum. Usuarius enim non habet plus, quàm quantum satis est quotidianis necessitatibus, unde *usus esse*, pro opus esse latinis dicitur: fructuarius omnes fructus, omnemque utilitatem & commodum habet, etiam ad lucrum & voluptatem pertinens. *Wesemb. ad part. n. 2. Myns. ad Inst. ad d. pr. de usufr.* insuper distinguit hæc vox usumfructum à dominio, cum dominus

re

re suâ uti vel abuti, eandem etiam corrumpere potest; fructuarius verò plenissimè quidem frui, non tamen abuti potest, quia plenitudo ista cum hoc moderamine intelligenda est, ne quicquam de substantia pereat. *Manz. d. pr. d. h. n. 5.* Porro in definitione usufructus dicitur: *rebus alienis res enim sua nemini servit. L. uti frui. 5. in pr. ff. de usufr. pct.* Quamvis enim dominus quoque re suâ uti & abuti possit, & omnem utilitatem ex ea percipere, id tamen non facit jure servitutis, sed jure domini. Insuper in ea dicitur: *salvâ rei substantiâ.* Usufructuarius enim ita frui debet, ut dominus securus sit de proprietate. *We-senb. in parat. n. 9.* dicta verba, *salvâ rerum substantiâ.* etiam indicant usufructum non constitui, nisi super rebus, quæ usu non consumuntur, quia ut habet *L. 2. ff. de usufr.* usufructus est jus circa corpus, quo sublato, aut mutato, necesse est & ipsum tolli, sicut sublata arbore, non potest produci pomum. Quamvis utilitatis gratiâ etiam circa res fungibiles servatus usufructum induxerit, ut habetur *in ff. tit. de usufr. ear. rer. que usu consum.* Quo Senatus consulto tamen effectum non est, ut proprius esset usufructus, sed remedio introducto, quasi usufructus haberi cepit. *d. L. 2. de usufr. §. constituitur. 20. Inst. eod.* constituitur verò usufructus non tantum in fundo & ædibus, atque aded in rebus immobilibus, sed etiam in servis, jumentis & cæteris rebus mobilibus, & inanimatis nec non in omnibus rebus fructuoni accommodis, vel jam, vel in futurum; & à proprietate separatur pluribus modis, vel per ultimam voluntatem, vel per actus inter vivos, vel per legem. Sic in bonis

adventitiis filiifamilias ipsa lex Patri usumfructum attribuit. *L. 6. Cod. de bon. quæ liber.* in omnibus hujus bonis. per *L. 1. Cod. de bon. matern.* quod etiam procedere volunt in usufructu relicto filio, per *textum in L. fin. Cod. de usufr.* scribunt tamen, quod iste textus sic valde difficilis, & videatur, quod non possit procedere, à sufficienti partium enumeratione: nam aut usufructus fuit relictus filiofam. contemplatione ipsius filii, & tunc jus usufructus & proprietas ejus residet penes filium, commoditas verò residet penes Patrem: quia in usufructu datur proprietas, & dominium saltem improprie, & datur etiam commoditas fructuum. per *text. in L. qui usumfructum. in fin. ff. si usufr. per. in L. in venditione ff. de bon. auth. jud. poss. in L. Mevius §. pen. ff. de legat. 2.* & sic talis proprietas & jus usufructus potest esse penes unum & commoditas penes alium, & tale jus dependet ab ipso fructuario, non verò ab eo qui percipit commoditatem, & hoc casu per mortem filii finitur & extinguitur talis usufructus. Si verò usufructus relinquatur filio contemplatione Patris, tunc statim pleno jure quæritur ipsi Patri, & sic ipsum jus usufructus, proprietas & commoditas ejus transit in patrem. Ita *Anton. Gomez. ad L. Tauri 48. n. 2. sqq. per judicem* etiam usufructus à proprietate separari potest in judiciis divisiis, quando de dividenda hereditate vel alia re communi dividenda agitur, si enim res talis dividi commodè non possit, tunc uni proprietas, alteri usufructus constitui potest. Plurimæ circa hanc materiam occurrunt quæstiones: An si Pater remittat usumfructum filio, quem ejus bonis habet, an valeat remissio?



missio? An Pater habeat usumfructum in legitima filii relicta à matre, sub conditione, ut ususfructus non quæ-  
ratur patri? Si pater non remisit expressè usumfructum  
filio, sed videt & consentit, quod filius percipiat fru-  
ctus bonorum adventitionem, an per hoc videatur fa-  
cta remissio? pluresque aliæ. De quibus pluribus ex  
cathedra occasione *L. 1. ff. de usufr. acturus est*

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

JOANNES MARTINVS  
BOETTCHERVS,

Natus 9. Maji an. MDCC VI. Patre JOANNE BOETT-  
CHERO, Ludimoderatore Alt-Hertzbergæ in pago cir-  
culi Saxonico-Electoralis ad Elystram nigram sito, & ma-  
tre MARTHA GRÜNBERGERIANA. Primis erudi-  
tionis elementis in Schola Hertzbergenfi jactis, anno  
MDCC XVI. Berolinum missus, in Gymnasio, quod  
ibi floret, & in cœnobio est, Ursiaco, ea, quæ incepit,  
quantum vires permisere, continuavit, & dicti Gymna-  
sii Collegis HASSIO, DITMARO, METZENTINO,  
GRVNOVIO, BRVCHARZIO atque KIRCHHOFIO  
usus Præceptoribus literis humanioribus incubuit.  
Jussu autem Parentum sub initium anni MDCCXXIV.  
Cizam se contulit, & Gymnasium hujus Urbis Epi-  
scopale sub Rectore, GLEITMANNO, Con- Rectore  
HERTZOGIO, qui ambo nunc *in exilio*, & postea Con-  
Rectore CRAMERO. Anno MDCC XXV. Almam  
Leucoremam petiit, atque sub Rectore Magnifico, JO-  
BALTHASARE WERNHERO, Jcto Consummatissimo,  
in numerum civium Academicorum receptus, in Phi-  
loso.

Iosophicis, ALBINI, HOLLMANNI & SEEBACHII,  
in Juridicis, WERNHERI Ordinarii, BASTINELLERI,  
MENCKENII, KRAVSII, KEMMERICHII, SPENERI,  
WERNHERI, HANACCII & SEEBACHII sedulus  
fuit auditor. Cum autem theoria cum praxi semper  
conjungenda sit, ab anno MDCC XXIX. usque ad  
MDCCXXX. cum in finem apud FINGERVM, Hertz-  
bergæ Syndicum commoratus & in scientia practica  
forensi exercitus fuit: Quo factò examine pro praxi  
Vitembergæ anno MDCC XXXII. feliciter peracto,  
Dresdæ advocatus immatriculatus & Notarius publi-  
cus Cæsareus creatus fuit. Tandem à Facultate juri-  
dicâ ad rigorosum Candidatorum examen admitti pe-  
tiit, admissus, textus ex utroque jure ita resolvit, & ad  
quæstiones propositas ita respondit, ut ad ulteriora spe-  
cimina unanimi consensu admissus sit, Lectionem ita-  
que cursoriam ad L. 1. ff. de usufr. horis consuetis, &  
disputationem inauguralem

DE

CAVSIS, QVÆ MARITVM AB VSV-  
FRVCTV BONORVM VXORIS  
EXCLVDVNT

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Dominus  
Rector, nec non Domini Proceres & Cives Academici  
humaniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Faculta-  
tis Juridicæ 28. Augusti MDCCXXXV.

(L. S.)

*Erffest, Diss., 1735*





inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

18

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
JO. PHILIPPUS  
Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM  
*ad L. i. ff. de usufruct.*

ET  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
*AD DIEM XXXI. AUGUSTI MDCCXXXV.*  
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.